

- acta, et sales frictos et tritos, et per triduum vel plus permisce diligenter. post haec aliquanto tempore patere requiescere, et Liburnicum omnes putabunt.
- (6) V. Vinum ex atro candidum facies: lomentum⁵ ex faba factum vel ovorum trium alborem in lagonam mittis et diutissime agitas: alia die erit candidum. et cineres vitis albae idem faciunt.
- (7) VI. De liquamine emendando: liquamen si odorem malum fecerit, vas inane inversum fumiga lauro et cupresso, et in hoc liquamen infunde ante ventilatum. si¹⁰ salsum fuerit, mellis sextarium mittis et move spica, et emendasti, sed et mustum recens idem praestat.
- (8) 1 VII. Vt carnes sine sale quovis tempore recentes sint: carnes recentes quales volueris melle tegantur, sed vas pendeat, et, quando volueris, utere. hoc hieme¹⁵ melius fit, aestate paucis diebus durabit. et in carne cocta
- (9) 2 itidem facies. Callum porcinum vel bubulum et unguellae coctae ut diu durent: in sinapi ex aceto, sale, melle facta mittis ut tegantur, et, quando volueris,²⁰ utere: miraberis.
- (10) VIII. Vt carnem salsam dulcem facias: carnem salsam dulcem facies, si prius in lacte coquas et postea in aqua.
- (11) 1 IX. Vt pisces fricti diu durent: eodem momento,²⁵ quo friguntur et levantur, ab aceto calido perfunduntur.
- (12) 2 Ostrea ut diu durent: lavas ab aceto, aut ex aceto vasculum picitum lava, et ostrea compone.
- (13) X. Vt uncia laseris toto tempore utaris: laser in spatiosum doliolum vitreum mittis et nucleos pineos ut³⁰ puta viginti, cumque utendum fuerit lasere, nucleos con-